

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **M. Vitruvii ... De architectura libri decem**

**Vitruvius  
Frontinus, Sextus Iulius**

**Argentorati, 1543**

Cap. XVI

[urn:nbn:de:bsz:31-128539](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128539)

M. VITRUVII  
DE BALISTARVM RATIONIBVS.  
CAP. XVI.

CATAPVLTARVM rationes ex quibus membris & portionibus componantur, dixi. Balistarum autem rationes uarie sunt & differentes, unius effectus causa comparata. Aliæ enim uetibus & succulis, nonnullæ polyplastis, aliæ ergatis, quædam etiam tympanorum torquentur rationibus. Sed tamē nulla balista perficitur, nisi ad propositam magnitudinem ponderis saxi, quod id organum mittere debet. Igitur de ratione earum non est omnibus expeditum, nisi qui arithmetice rationibus numeros & multiplicationes habent notas. Namq; sunt in capitibus foramina, per quorum spatia contenduntur, capillo maxime muliebri, uel neruo, funes, qui magnitudine ponderis lapidis, quem debet ea balista mittere, ex ratione grauitatis proportionem sumuntur, quemadmodum catapultis de longitudinibus sagittarum. Itaq; ut etiā qui geometriæ arithmeticeq; rationes non nouerint, habeant expeditum, ne in periculo bellico cogitationibus detineantur; quæ ipse faciendo certa cognouit, quæ ex parte accepi à præceptoribus finita, exponam: & quibus rebus Graecorum pensiones ad modulos habeant rationem, ad eam ut etiam nostris ponderibus respondeant, tradam explicata.

DE PROPORTIONE LAPIDVM MITTENDORUM ad balistæ foramen. CAP. XVII.

NAM quæ balista duo pondo saxum mittere debet, foramen erit in eius capitulo digitorum. v. si pondo quatuor digitorum. vi. digitorum. vii. decē pondo, digitorum. viij. uiginti pōdo digitorum. x. quadraginta pōdo, digitorum. xij. S. K. sexaginta pōdo, digitorum. xij. & digiti octaua parte. octuaginta pondo, digitorum. xv. centū uiginti pōdo pedis. is. & sesquidigiti. centū & sexaginta pōdo, pedum. ii. centū & octuaginta pondo, pedum. ii. et digitorum. v. ducet a pōdo, pedum. ii. et digitorum. vi. ducenta decem pondo, pedum. ii. et digitorum. viij. ccl pondo. xi S. Cum ergo foraminis magnitudo fuerit instituta, describatur scutula, quæ græcè *σκιττή* appellatur, cuius longitudo foraminum. ii. Fz. latitudo, duo & sextæ partis. Diuidatur dimidium lineæ descriptæ, & cum diuisum erit contrahantur extreme partes eius formæ, ut obliquam deformationem habeat longitudinis sextam partem, latitudinis ubi est